



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XLVI. De his qui ad vacantes ecclesias mittunt armatos, & faciunt ibi expensas. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Ad.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTE  
1410.

XLVI.

*De his qui ad vacantes ecclesias mittunt armatos, & faciunt  
ibi expensas. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis  
archiepiscopi, quod incipit: Ad . . . . .*

Prælati, principes, & alii nobiles atque officiales eorumdem, qui ad vacantes prælaturas, beneficia siue officia, mittunt gentes armorum, & inibi expensas faciunt graues, aut compellentes eligere per abusum potestatis sæcularis, aut potentia inordinata; seu qui electum & confirmatum non admittunt ad possessionem, nisi pro certa pecuniæ quantitate; nisi infra mensem emendauerint quod fecerint, excommunicati sunt ipso facto: a qua sententia non absoluantur, donec satisfaciant, & extorta restituant: in quibus etiam non prodest eis remissio.

XLVII.

*De laicis recipientibus & occupantibus ecclesiastica beneficia.  
Ex statuto domini Ioannis Tusculani,  
quod incipit: Laicos.*

Laici recipientes & occupantes ecclesiastica beneficia, nisi infra mensem a tempore occupationis computando, ipsa dimiserint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.

XLVIII.

*De aduocatis ecclesiarum, qui ultra iura eis debita ecclesiastica,  
grauant ecclesias. Ex statuto eiusdem domini Ioannis,  
quod incipit: Nonnulli.*

Mortuo ecclesiæ aduocato, non omnes eius filii, sed ille solus in quem omnes, vel maior pars ipsorum consentit, habeatur pro patrono. Et aduocati ecclesiarum, qui defendendo & manutenendo personas & bona ecclesiarum, quarum sunt aduocati, negligentes fuerint aut remissi, huiusmodi aduocationis officio priuati sunt ipso facto. Qui vero ab huiusmodi ecclesiis ultra debitum aliquid auferre præsumperint, nisi infra mensem ablata restituerint, singulis mensibus debent excommunicati denuntiari.